Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1361
Quelle:
Copyright:

pitis expoſitione ad hanc veluti lydium lapidem Hiſtoriam Mahometici Regni ex optimis quibusque auctoribus deſumptam explorabo et revocabo &c. *Multi, quod Julianus Apoſtata de Apologetico pro Chriſtianis edito, de noſtris fortaſſe Scriptis ferent judicium:* Legi, intellexi, damnavi. *Iis item reponenda Nazianzeni reſponſio:* Legiſti, non intellexiſti, damnaſti. &c. Sequitur *Capitum* Elenchus, quorum I. *Pars* cenſet XXIX. II. vero XXII. Capita I. *Partis* occupantur *quatuor Beſtiis* ſeu Monarchiis, ubi a *Romana* ad Imperium *Germanorum* tranſitu facto varia de ejus Praerogativis differuntur, *cornu parvum quartae Beſtiae* Regnum *Mahometicum* eſſe ſtatuitur, multa de ejus Legislatione, Potentia, Bellis, Victoriis, Perſecutionibus, Judicio et Sententia divina in illud ferenda diſputantur, demum de Autoritate Vaticiniorum *Sibyllae*, *Joachimi* Abb. *Teleſphori* Erem. et *Ant. Torquati* agitur, miro ſane ingenio, et non vulgari lectionis ubertate.

Pars. II. numerat, ut dicebam, *Capita* XXII. iisque tractatur de Interitu Sectae *Mahometicae* ex Apocalypſi, teſtimonio *Mahometis*, interpretatione vocis קרן, vaticiniis et ſomniis, Cometa anni 1680. conjunctionibus Planetarum, Numerorum harmonia, Vulgi vocibus et praeſagiis; item quando et per quem ſit interitura; denique *parvum* illud *Cornu* nequaquam in Pontificem Rom. torqueri poſſe. Multa hic etiam curioſa, e fontibus reconditis promta, Chronographica, Cabbaliſtica. Quoniam vero ab aevo noſtro remotiora ſunt, in iis paullo diſertior ero, quae ad hoc magis accedunt. Igitur

Pars III. et IV. Folior. 483. R. 620 peculiariter inſcribitur: *De Regno Chriſti orituro ex occaſu Regni Mahometici*, et *Capitibus* XXXIII. definitur, in quibus de *Regni Chriſti* ratione, mediis, amplitudine, firmitate, duratione, futura ejus pace, pacis hujus auſpice, tempore et praedicatoribus, de gubernio politico per Imperatorem *Rom.* et quidem Stirpis *Auſtriacae*, cujus usque ad *Leopoldi* Filios *Joſephum Rom.* Regem et *Carolum* texitur Hiſtoria, pertractatur. Certat in his, uti dixi, eruditio cum credulitate, plenisque modiis adgeruntur *Sibyllae*, *Methodii*, *Amadei*, *Aſtolgandi*, *Joh. de Kala*, *Joachimi* Abb. *Joh. de Rupeſciſſa*, *Malachiae*, *Teleſphori*, *Vinc. Ferrerii*, *Joh. de Ripa*, *Joh. Lichtenbergeri* et neſcio quae Vaticinia ſane curioſa, in quibus torquendis et interpretandis nulli parcit Autor ingenio, quin et e *Leopoldi* Filiorumque nominibus *Omina Etymologica*, *Arithmantica* et *Cabbaliſtica* fauſta capit. Pars IV. *Capitibus* XXX. conſtans titulum praefert: *De iis quae contingent ad Mundi finem*, neque minus lectu curioſa eſt cum ob variam doctrinam; fontibus enim hebraicis, graecis, germanicis, italicis, gallicis, hiſpanicis utitur Propheta noſter, tum ob concluſionem, ad quam deducit omnia, vi-